



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Definitiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DEFINITIONES.

Quod in principio facere Geometrae solent, ut rerum de quibus sunt acturi notitiam definiendo aperiant & circumscribant; deinde ut concedi sibi postulent nonnulla, quae ab omnibus conceduntur vulgo; nec sine injuria negari posse putant; tum ut manifesta quaedam & confessa omnibus effata proponant; idem mihi faciendum est; ut ordine procedat nostra Demonstratio, & concludatur *ἔπισημνῶν*. Principium ergo ducamus à Definitionibus, quarum prima haec esto:

DEFINITIO I.

Liber genuinus is est, qui ab eo auctore scriptus est, à quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur.

*Explicatur
prima Definitio.*

I. Herodoti puta historiam, genuinum librum dicimus, quod & Herodotum; cujus nomine inscripta est, auctorem habeat; & iis circiter lucubrata sit temporibus, quibus lucubrata esse fertur. Quamvis enim Pamphila, ex cujus verbis aetas Herodoti intelligitur, initio belli Peloponnesiaci tres & quinquaginta annos, non natum eum esse, sed natum videri dixerit, neque satis constet quo aetatis suae anno Historiam scripserit; quia tamen paucorum annorum controversia est, non idcirco è genuinarum scriptio-
rum serie expungitur. Quod si Constantini temporibus confictum fuisset hoc opus, uti Jacobo Gauterio persuasum fuit, in genuinorum censum nequam admitteremus. Altera haec est Definitio:

DEFINITIO II.

Liber coetaneus is est, qui eo circiter tempore scriptus est, quo res in eo scriptae contigerunt.

*Explicatur
secunda Definitio.
Lamprid. in
Alex. Sev.
cap. 29.
Veit. Flacc.
de verb. sign.
libr. 4. apud
Gell. libr. 5.
cap. 18.*

I. Hujus generis est Thucydides historia, quippe quae ea narret, quibus Thucydides ipse interfuit. Talis est & Xenophontis liber De expeditione Cyri, quo ea habentur, quibus Xenophon ipse praefuit. Auctores hujusmodi Lampridius *Scriptores suorum temporum* appellat. Docet autem Verrius Flaccus *earum proprie rerum esse Historiam, quibus rebus gerendis interfuerit is qui narret.* Quae tamen Historiae Definitione omissa, illam damus:

DEFINITIO III.

Historia est narratio rerum, quae jam contigerant eo tempore, quo Historia illa scripta est.

*Explicatur
tertia Definitio.*

I. Dixissem paucioribus verbis vulgus Grammaticorum secutus, Historia est narratio rei gestae: sed cum Prophetia itidem, qua Hierosolymitanum excidium praedicitur, sit narratio rei gestae, & gestae quidem à multis annis, jamdiu enim excisa sunt Hierosolyma, vitiosa fuit ambiguitas, ut intelligeret Lector jam tum rem fuisse gestam, non modo cum haec quam definimus legeretur historia, sed etiam cum scriberetur, atque ita Historia distingueretur à Prophetia, cujus quarto loco Definitionem pono his verbis:

DEFINITIO IV.

Prophetia est narratio rerum futurarum, quae nondum contigerant eo tempore quo Prophetia illa edita est, quaeque ex naturalibus causis praevideri non possunt.

*Explicatur
quarta Definitio.*

I. Nam est etiam praeteritorum & praesentium Prophetia: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? aiebat impius Satelles, postquam colapho Jesum ceciderat.* Sic

DEFINITIO V. VI. VII.

7

afinas, quas nudius tertius amiserat, esse inventas Samuel Propheta Satili significavit. Sic quæcunque Naaman inter & Giezi pacta fuerant, Elisæus perspecta habuit. Sic Epimenidem Cretensem, quem Prophetam Paulus Apostolus appellat, de futuris haudquaquam vaticinatum fuisse testatur Aristoteles in Rhetoricis, sed de præteritis, at obscuris. Quamquam eum & de futuris Athenienses, Lacedæmonios, ac Cretenses monuisse, Plato, Plutarchus, & Diogenes Laërtius asseverant. Περσῆσι, inquit Procopius, ὁ ἀποφασίων ἢ τὸ μέλλον, ἢ τὰ παρὸν λαμβάνοντα: *Propheta is est, qui prædicat, vel futurum, vel præsentia occulta.* Plurima in id argumentum congerit Theodoretus, Præfatione in Psalms, quem consuli velim. Prudens quoque illa & sagax futurorum præsentio, Prophetia est. Hinc vetus illud:

*Μαῖνε δ' αἴετος, ὅστις ἔγχετο καλῶς
Qui bene coniecit, vatem perhibebo optimum.*

Hinc & illud Ovidii:

Augurium ratio est, & conjectura futuri.

Hoc sensu insignis Prophetia habendus est Thales Milesius, qui exploratis ac præcognitis naturæ viribus uberem olearum proventum prædixerit. Hæc Prophetiarum genera non sunt instituta disputationis, sed ea tantum quæ futura spectant, & ad quæ nullum postum est in naturalium causarum consideratione præsidium. Progrediamur ad quintam Definitionem, quæ talis est:

DEFINITIO V.

Religio vera ea est, quæ res solum veras ad credendum propositas habet.

I. SCIO Religionem proprie dictam definiri à Theologis, Virtutem per quam Deo debitum cultum exhibemus. Hic autem latius Religionis nomen patere volo, & ad omnia virtutis officia pertinere, quibus Deum nobis conciliamus, adeo ut virtutes quæque theologicas, fidem, spem, & charitatem complectatur. Quo sensu dixit Augustinus Deum coli fide, spe, & charitate. Ex nostra autem Definitione sequitur falsas esse Ethnicorum Religiones, ut pote quæ res falsas ad credendum habent propositas, & falsam indem Judaicam, ut pote quæ rebus veris detrahat fidem, quod tantumdem est, ac falsis fidem adjungere: perinde enim fallitur, qui vera habet pro falsis, ut qui falsa pro veris. Sive autem pertinacia, sive ignoratione occæcatus aliquis rebus fidei obsequium meritis id præbere detrectet, in falsâ æque Religione hærebit. His verbis concluditur sexta Definitio:

DEFINITIO VI.

Messias est homo Deus, à Deo divinitus missus ad hominum salutem, & à Prophetis in Veteri Testamento prædictus.

I. MESSIAM esse hominem Deum negant quidem Judæi, & Christiani nonnulli; si modo Carpocratiani, Ebionitæ, Samosatani, eorumve fraterculi Sociniani, Christiani dicendi sunt. Fatentur illi tamen Messiam, si non hominem Deum, at hominem divinum esse, & reliquæ Definitionis parti ultro assentiuntur. Verum hæc ipsorum inter se esto disputatio, quæ nihil nunc quidem facit ad propositum. Capitalis hæc est & decretoria Christianorum cum Judæis controversia, utrum Messias sit Jesus Nazarenus: atque eo pertinet postrema Definitio quæ talis est:

DEFINITIO VII.

Religio Christiana ea est, quæ Jesum Nazarenum Messiam esse statuit, & quæcunque in Libris sacris sive Veteris, sive Novi Testamenti de eo scripta sunt, pro veris habet.

I. HIS septem Definitionibus contenti simus. Nullæ in iis ambages, trix nullæ, tenebræ nullæ; cujusmodi in ipso Geometricarum Definitionum aditu densissima occurrunt: nam & ea definiuntur quæ nusquam sunt, nec fuerunt unquam, neque humana industria esse possunt; & ita definiuntur, ut nihilo plus intelligas. Cum enim punctum esse dicunt, cujus nulla est pars, vel lineam, longitudinem latitudinis exper-

Matth. 26. 6.

Tit. 1. 12.

Plat. 1. de legib. Plutarch. Solon, Diog. Laërt. Epimen. Procop. in. 1. 12.

Ovid. 1. Trist. Eleg. 8.

Explicatur quinta Definitio.

August. Enchir. cap. 3.

Explicatur sexta Definitio.

Conferuntur Definitiones nostra cum Definitionibus Geometricarum.

tem, verbis id sane dicunt, mente ipsi neuti-
quam percipiunt: quantumvis enim con-
tendant ingenii vires, numquam rem in animum inducere poterunt partium penitus
inopem, vel longitudinem latitudine penitus carentem, vel longitudinem ac latitudi-
nem sine ulla altitudine. Quæ si nusquam sunt, proinde nec circuli, nec triangula,
aliæve planæ figuræ, imo nec sphaera, aut pyramides, aut cubi, aliæve corpora, in
quorum consideratione ars Geometrarum versatur. Non sum nescius multa in contra-
rium afferre ipsos, & magnifice se jactare. Geometria, inquit, scientia est rerum
æternarum: τὰ ἀθάνατα γεωμετρικῆ γνώσεως ἔστι. punctorum & linearum adamantina
vis est, æterna, & immutabilis, juxta Platonem: animo, non manibus materiam
Geometria subministrat, ἡ φύλη μὲν τῆς ἀθάνατων ἔστι, τὸ δὲ γινώσκαι παρέχεται μόνον.
Operibus quidem perficiendis addicta non est; sed cognitionem solum præbet, inquit Plato
alibi: puncta, lineas, superficies, & quæ ex his gignuntur Geometrica corpora,
etiamsi imaginari non possumus, animo tamen cognoscimus. Ego vero non intelligo
quo sensu æterna dici possint, quæ ne sunt quidem. At puncta & lineas reipsa existe-
re docuit Proclus, axes nempe, polos, & centra in orbibus cælestibus. Fateor corpo-
ra ipsa existere; ipsorum vero centra, axes, polos, & superficies corpora ipsa esse
aio, ut facile demonstrari potest. Tangat planum vnus aliquis ex orbibus illis cæle-
stibus per unum è polis suis, vel tangat planum corpus ipsum globi cælestis, vel non
tanget: si tanget, cum tangat per polum, sequitur polum esse corpus ipsum: si non
tanget, at polum suum sibi inhaerentem tangit, eundem vero tangit & planum, nec
tamen globus tangit planum, unde efficitur polum habere partes, quod est contra
definitionem puncti: nam si non haberet partes, totus polum tangeretur à globo, at-
que item totus à plano, ac proinde sese contingerent globus & planum, quod mox
negabatur. Igitur puncta & lineæ in orbibus cælestibus, ipsa sunt orbium corpora. Vi-
derunt id Stoici, quamobrem sola cogitatione hæc existere censuerunt, reipsa vero
corpora esse, & lineam quidem corpus sine latitudine, superficiem vero corpus sine
altitudine, quod perinde est ut si dicant lineam latam esse sine latitudine, super-
ficiem altam sine altitudine, cum corpus sive solidum, ex definitione, longum sit,
latum, & altum. Respondent altam hanc, latam illam esse, sed mente abstrahi ab il-
lis latitudinem, & altitudinem: quam nuper sententiam amplexus est Hobbesius. Pro-
clus quidem ea nos imaginari posse credidit, non ut ἀμείψαι, nam fieri id non posse
sciebat, neque ut μετῆναι, nam tantundem id fuisset, ac si ea nos imaginari non
posse dixisset, sed ita ut ab ἀμείψαι ad μετῆναι fieret progressio. Verum si ea non ima-
ginamur ut ἀμείψαι, quomodo ab ἀμείψαι quæ non imaginamur, progrediemur
ad μετῆναι; Contra vero à μετῆναι, cuiusmodi res sensiles sunt, quarum species phan-
tasia nostra in se recipit, progredi tentamus ad ἀμείψαι, verum deficimus in conatu,
neque ad metam pertingimus. Qui vero animo, non phantasia nos ea percipere vo-
lunt, ratione id nobis persuadere non possunt: ostendant enim aliquid esse posse in in-
tellectu, quod non fuerit in sensu, tum fatebimur punctum in intellectu esse posse,
etiamsi nequeat esse in sensu. Deinde animum eorum, qui punctum se percipere aiunt,
de meo animo æstimare possum: cur ego animo percipere non possum, quod
ipsi percipere se aiunt? cur id nihilo magis percipiunt alii, qui Definitiones illas
aspernati sunt? Tantum vero abest, ut id animo percipere possim, ut potius valida mi-
hi argumenta animus meus suppediret, quibus fictitia principia hæc, nec esse, nec per-
cipi posse persuadeor. Urgent tamen Geometra, atque hæc esse saltem aiunt in mente
Dei. Esto: an id definire possunt, quod est in mente Dei, nec in mente humana ef-
fe potest? nam ignotum non potest defini: quod autem in mente mea non est, igno-
tum mihi est. Quales ergo dicemus esse eos, qui ignotarum sibi rerum naturam &
proprietas explicare audent? Dixi nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu,
juxta decretum Peripateticæ Scholæ: contra vero Plato, ejusque gregales, Timæum,
aliosque Pythagoreos secuti, animas nostras, vel ab ipso orta, rerum formis imbutas,
ac disciplinarum principiis informatas esse volunt, & nativis prodire instructas doti-
bus, non peregrinis & adventitiis, è rerum sensilium & materia sinu educis. Mover
hanc questionem Proclus, & acute ac subtiliter disputat, an formæ illæ ac species
animis nostris insitæ, à rebus sensilibus proficiscantur, sive κατ' ἀφαιρέσιν τῆς ἐνούσιου, sive
κατ' ἀναθεωρήσιν τῆς ἐν τοῖς κατὰ ἕκαστον, καὶ μεμεκῆσιν, εἰς ἕνα ἢ κοινὸν λόγον an vero sint ἀν-
τιφύσεις in animis nostris, non extrinsecus ascitæ. Postremam hanc opinionem ample-
ctitur Proclus, & juxta magistri sui effata in anima constituit θεωρητοῦς τῆς ἀρχῆς
figurarum, numerorum, rationum, & motuum; hæc figurarum omnium, numero-
rum, rationum & motuum exemplaria esse ζωτικῶς καὶ νοερῶς, τῆς ψυχῆς δημιουργικῶς
ἰδρωθέντων. Splendida sane dictu sunt ista, quorum tamen si penitus spectamus argu-
menta, statim concident. Nam primum hoc affert Proclus, res sensiles καὶ ὑλικῶς certi
nihil

Plat. lib. 10. de Rep.

Plat. Politic.

Procl. lib. 1. in Euclid.

ti nihil & accurati, puri nihil, sinceri, ac immobilis habere, nihil expers partium, nihil latitudine carens, aut crassitudine; hæc autem inesse formis illis ac speciebus mathematicis, quas animo comprehensas habemus, non ergo oriri à rebus sensibilibus, productum liquidem producente nobilior ac perfectius esse non posse; igitur ex anima ipsa educi. Quæ cum ait Proclus, sumit τὸ ἀμφοιβητούμενον ἀπὸ τῆς ὁμιλογημένης, nec enim concecimus puncta, vel lineas, vel superficies, vel circulos, formasque mathematicas nos animo comprehensas tenere; nec, quæ ex his constantur, demonstrationes, accuratas, puras, sinceras, & immobiles esse fatemur; quippe ex sensibilibus ortas, quæ fluxa, mobilia, mutabilia, crassa & fecilia sunt. Nihilo validius pugnat, cum ait meliores fore demonstrationes, quæ à sensibilibus proficiscuntur, ut pote à causa & principio, deteriores quæ ab universalibus & simplicibus, si sensilia causæ sint & principia universalium; cum tamen scitum certumque sit, ex magis universalibus constari demonstrationes, proindeque priora hæc esse, & præstare singularibus; non igitur ex iis oriri. Quod utique recte concludi negamus: ex sensibilibus enim & singularibus efficiuntur universalia; ex universalibus verò gignitur scientia, & demonstrationes constant. Quemadmodum autem validius telum concinnatur ex ramo arboris, trabs solidior ex trunco, quam ex radice; cum tamen truncus & rami ex radice oriantur, ita certior & firmior conflatur demonstratio ex universalibus, quam ex singularibus; cum tamen ex singularibus, & sensibilibus, & materia concretis universalia efflorescant. Tantum igitur demonstrationibus iis veritatis inest, quantum universalibus illis principiis, quæ quidquid veri certique habent, à sensibilibus & singularibus acceperunt. Urget denique Proclus, & animam materia ignobiliorem nos fingerè causatur, cum docemus à natura ipsa materiam accipere rerum ἀσπύρα ὡς ἀδύνατα, & manifestiores formas, & εὐαίσθητες, quæque magis sunt; animam vero postmodum ab his simulacra educere ac species, & in sese informare. Quæ cum ita fieri fatemur, nihil tamen de animæ dignitate detrahimus; aliter enim formas à natura recipit materia, mere scilicet παθητικῶς, aliter eas anima colligit ex materia, & sensibilibus, per vim nempe activam, quæ præstat anima, & inertem superat otiosæ materiæ cessationem. Quam infirmis igitur opinio isthæc radicibus hareat, perspicuum est; unde liquet vere autumasse Aristotelem, animam tabellam esse, sive album quoddam, formis ac rationibus vacuum, non nativis rerum imaginibus depictum, sed externas & ascititias formas impressas gerens. Id quod fateri cogitur Proclus, cum animam, externam quamdam mentis imaginem esse docet, & in mente res contineri ὡς ἀδύνατα, in anima εἰκονικῶς, menti nempe exemplaria νοεῖν rerum inesse ἀποτότως, quæ in anima sui similitudines exprimant, eamque pingant, & exornent. Pluribus hæc persecutus sum, cum propter dignitatem quæstionis ac momentum, tum ut appareat quo jure dixerit Proclus jam à multis confutatam esse opinionem hanc quam tuemur, ac convictam. Aliæ præterea sunt Geometricarum definitionum labes. Reciprocari debere invicem definitionem & definitum, decretum est Philosophorum: Homo est animal rationis particeps; animal rationis particeps est homo: aqua est & legitima conversio. Jam fac periculum in definitione puncti: *Punctum est cuius nulla est pars*: id ergo cuius nulla est pars, est punctum. Atqui Dei nulla est pars: Deus igitur punctum est. Falsum hoc & ineptum, inepta ergo puncti definitio. Præterea cum ait ὁ σοφιστικὸς Punctum esse cuius nulla est pars, id voluit, nullam ejus esse posse partem; atque ita ἀσπύς confundit cum ἀσπίδα. Gravius etiam peccat, cum lineam definit, longitudinem illatibilem; aut superficiem, longitudinem & latitudinem altitudine carentem. Quid hoc monstri est? Longitudo accidens est, linea substantia est; (utamur enim vocibus Philosophorum) quæ substantiam definire queas per accidens? Dixissent rem esse longam sine latitudine: pateremur. Pergamus vero. Tertia definitio hæc est, *Lineæ extrema sunt puncta*. Sexta, *Superficii extrema sunt lineæ*. Hæc quam falsa sint, non quæro, quæ sunt falsissima. Certe propositiones hæc sunt, non definitiones. Rectam lineam sic definiunt, *Quæ ex equali sua puncta interjacet*, nullā, vel certe intricatissimā sententiā. Aliter itaque eam definiuit Plato, aliter Archimedes, aliter & alii, quorum definitiones affert Proclus. Pari vitio laborat & septima, quæ est planæ superficiæ. Quamobrem & alias ejus definitiones Proclus proposuit. De natura anguli quantæ extiterint controversiæ Geometricarum, cognoscitur ex ejusdem Procli disputationibus, quas cum legeris, incertior eris multo quam dudum. Quam autem ejus definitionem dat Euclides, eam sequentibus Propositionibus haudquaquam tuetur, ut optime Ramus animadvertit. Quid simile verò in nostris Definitionibus? quid non simplex? quid non apertum? quid non communi omnium assensione comprobatum? Sed jam transeamus ad Postulata. Nonnulla sunt enim quæ Lectorem mihi gratificari velim; atque ea quidem ejusmodi, quæ sine injuria negare non possit. Primum hoc est:

Procl. libr. 1.
in Euclid.

Procl. libr. 1.
in Euclid.